

Zeitschrift: Candollea : journal international de botanique systématique = international journal of systematic botany

Herausgeber: Conservatoire et Jardin botaniques de la Ville de Genève

Band: 22 (1967)

Heft: 1

Artikel: De Hedera corymbosa vel Hydnocarpo corymboso ex Insulis Canariensibus

Autor: Bernardi, Luciano

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-880387>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 08.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

De *Hedera corymbosa* vel *Hydnocarpus corymbosus* ex Insulis Canariensibus

Auctore

LUCIANO BERNARDI

felsineo, Conservatorii Genavensis

RÉSUMÉ.

Le *Hedera corymbosa* Choisy, transféré par Seeman au genre *Hydnocarpus* (*Hydnocarpus corymbosus* (Choisy) Seem.) n'est autre que *Jatropha curcas* L.

Cultivée jadis aux îles Canaries, comme quelques échantillons d'herbier en font preuve, il serait intéressant d'établir si cette espèce est aujourd'hui complètement disparue de ces lieux.

Nonnullis annis praeteritis, maxima cum admiratione, inter specimina *Araliacearum* Herbarii Genavensis *Hederam corymbosam* Choisy ex DC. conplexi, quae maxime ab *Araliaceis*, mea ratione, discrepabat; praeterea ad quamdam speciem obviam tamen terrarum calidiorum americanarum animum meum referebat obscuram quod me tunc attinebat. Curiositate stimulatus, *Hederam* illam, tam anomalam, per opera botanica inquisivi.

Descriptio pristina in DC. Prodr. 4 : 262. 1830 adest, nullo flore accurate descripto nisi « floribus corymbosis ».

Admiratio mea multo magis increvit, cum, indice Kewensi consulto, *Hedera corymbosa* illic salutabatur ut *Hydnocarpus corymbosus*.

Seeman, *Araliacearum* saeculo priore doctissimus, et ne postremus quidem inter Britanniae tum celeberrimos botanicos, in Journ. of Bot. 3 : 203. 1865, *Hedera canariensi* adumbrata, hanc miseram ab genere expulit paucis sequentibus verbis (ab britannica lingua translatis). « *Hedera corymbosa* Choisy, quae cum praecedenti eadem considerabatur, specimine fide digno a claro Alph. de Candolle mihi misso patefit *Bixineis* pertinere, *Hydnocarpus corymbosus* Seem. nominatur. »

Pro nihilo specimen typicum *Hederae corymbosae* Herbarii Candolleani ad *Bixinaceas* vel *Flacourtiaceas* nullo modo attinet; ideo, vel Seeman, ut dicitur etiam de Homero poeta illo, specimen fide dignum dormitans conspexit, vel specimen illud

ob errorem schedulae aliud quam *Hederae corymbosae* erat atque ex Genava tenebras ad Britanniae botanicum adduxit! Maxima cum ratione igitur egregius Sleumer, *Hydnocarpus* genere toto reviso (cf. Bot. Jahrb. 69 : 65. 1939), *Hydnocarpum corymbosum* exclusit, sed rursus *Hederae corymbosae* nomine expedit!

Jam pridie, cum specimen semel atque iterum conspexeram, de eodem certior factus sum; tamen, nimis multis operis et laboribus onustus, specimen illud neglectum inter immanes fasciculos exsiccatarum reliqui. Hodie tandem malo nomen verum *Hederae corymbosae* videlicet *Hydnocarpus corymbosus* producere, quod est: *Jatropha curcas* L.

Frutex hic vel arbor parva introducta quidem est ab Hispanis, saeculis praeteritis, ex torrida America, fortasse ob fructus, purgativos quamquam nimis vehementes usque exitiales, quibus incolae terrarum calidiorum utuntur vel potius utebantur.

Ut constat ex litteris, *Jatropha curcas* ne frequens quidem insulis Canariensibus unquam fuit, quia nec in opera magnifica Webb et Berthelot (Hist. Nat. Iles Canaries, 1836-1850, passim) inscribitur, nec in Sauer (Catalogus plantarum in canariensibus insulis sponte et subsponte..., 1890), nec in plurimis auctoribus in diligenti opere clari H. Schenk (Beiträge zur Kenntnis der Vegetation der Canarischen Inseln : 234-235. 1907) citatis, invenitur. Et auctores hujus temporis de *Jatropha curcas*, ex vegetatione canariensi, etiam tacent: vidi, ad exemplum, Ceballos et Ortuño (Estudio sobre la vegetation..., Madrid 1951) et Lems (Floristic Botany of the Canary Islands. Sarracenia 5, 1960).

Ad hoc igitur addendae duae notulae herbarii sunt; una, prout *Hedera corymbosa*, tam sonat, ex herbario DC.: « M. Courant, 1820 Pepita de San Agustin. Arbre étranger bas, touffu et à bois épais produisant un fruit noir et blanc enveloppé, purgatif »; altera, ex herbario generali, pro ut *Jatropha curcas*: « M. Despréaux, 1837, n° 98, rarissime, fut cultivée autrefois. »

Denique, investigare deceret utrum hodie omnino insulae Canariae hujus speciei olim cultae desiderentur, an paucissimi frutices *Jatrophae curcas* passim Insulas jam Fortunatas nuncupatas colent.

Postremo, ad synonymiam *Jatrophae curcas* L. (vide: Pax in Engler Pflanzenr. IV 147 : 77. 1910) addenda sunt nomina:

Hedera corymbosa Choisy ex DC., l.c.

Hydnocarpus corymbosus (DC.) Seeman, l.c.